R. GOSCINNY Asterix A. UDERZO

Asterix apud HELVETIOS

composuit: René GOSCINNY

in Latinum convertit: RUBRICASTELLANUS

pinxit: Albert UDERZO




BADAUZ!
DELiRANT iSTi ROMANi!


PAULO MINUS VALEO, PANORAMIX!...
NULLO MODO, OBELIX, POTIONEM MAGICAM ACCIPIES! MILIES TIBI DICEBAM TE NATUM INFANTEM IN EAM INCIDISSE!

GOSCINNY ET UDERZO
NOVUM PERICULUM
ASTERIGIS ET OBELIGIS PRAEBENT

ASTERIX APUD HELVETIOS

composuit: RENÉ GOSCINNY pinxit: ALBERT UDERZO



in Latinum convertit: RUBRICASTELLANUS

ehapa COMIC COLLECTION EGMONT

Astérix chez les helvètes
Asterix apud helvetios

Übersetzung aus dem Französischen ins Lateinische:
Karl-Heinz Graf von Rothenburg


Verantwortlicher Redakteur: Wolf Stegmaier

© 1970 GOSCINNY- UDERZO
© der vorliegenden Ausgabe und der lateinischen Übersetzung:
2012 HACHETTE LIVRE/GOSCINNY – UDERZO
Verlegt von: Egmont Ehapa Verlag GmbH
Erste Veröffentlichung in lateinischer Sprache: Ehapa Verlag GmbH, 2010
Druck und Verarbeitung: Sachsendruck, Plauen
ISBN 978-3-7704-3340-7


Wer mehr über Asterix und Obelix erfahren möchte -
hier werden alle Gallierfreunde fündig:
www.asterix.de



ANNO A.C.N.L: TOTA GALLIA, QUAE, UT VIDES, EST DIVISA IN PARTES QUINQUE, A ROMANIS OCCUPATA EST... TOTANE? MINIME! VICUS QUIDAM A GALLIS INVICTIS HABITATUS INVASORIBUS RESISTERE ADHUC NON DESINIT. NEQUE VITA FACILIS LEGIONARIIS ROMANIS, QUIBUS SUNT CASTRA BENE MUNITA BABAORUM, AQUARIUM, LAUDANUM, PARVIBONUMQUE...



ASTERIX HEROS NOSTER EST, QUI SUBIIT HAEC PERICULA. EI VIRO BELLICOSO HUMILI STATURA INGENIOQUE CALLIDO OMNIA PERICULOSA MANDATA SINE ULLA DUBITATIONE COMMITTUNTUR. VIM PLUS QUAM HUMANAM EX POTIONE MAGICA PANORAMIGIS DRUIDAE TRAHIT...



OBELIX INSEPARABILIS ASTERIGIS AMICUS EST. MUNUS EIUS EST INGENTES CIPPOS COMPORTARE. VALDE AMAT CARNEM APRORUM. OBELIX SEMPER PARATUS EST OMNIA EX MANIBUS DEMITTERE, UT ASTERIGEM AD NOVUM PERICULUM SUBEUNDUM SEQUATUR, DUMMODO APRI ET ACERRIMAE RIXAE APPAREANT.



PANORAMIX, VENERABILIS VICI DRUIDA, VISCA SECAT POTIONESQUE MAGICAS MISCET. IMPRIMIS POTIO QUAEDAM, QUAE VIRES INCREDIBILES TRIBUIT, POPULARISSIMA EST ATQUE GRATISSIMA VICANIS. AT PANORAMIGI ETIAM ALIORUM POTUUM PRAECEPTA SUNT...



CANTORIX BARDUS EST. IUDICIA DE EIUS INDOLE DIVERSA SUNT: IPSE SE INGENIOSUM IUDICAT, OMNES CETERI CANTUS EIUS INCREDIBILES ESSE SENTIUNT. AT CUM NIHIL DICIT, SODALIS HILARIS ATQUE ALACER EST, AB OMNIBUS MAGNI AESTIMATUS...



MAIESTIX POSTREMO PRINCEPS CIVITATIS EST. AUGUSTUS, FORTISSIMUS, SUSPICIOSUS HOMO REI MILITARIS PERITISSIMUS A SUIS COLITUR, TIMETUR AUTEM AB HOSTIBUS. MAIESTIX NIHIL TIMET NISI HOC UNUM: NE CAELUM IN CAPUT CADAT. AT UT IPSE DICIT: „NONDUM OMNIUM DIERUM SOL OCCIDIT.“



DEODORIX CRUSTATA
INUTILES ESTIS! UTERQUE VESTRUM! NUMQUAM IAM VOS VIDERE VOLO!
Quid? Isti quidem portatores Maiestigis, principis nostri, sunt!
Ita! Nos missos fecit. At hodie mane bono animo fuit; etiam caelum serenum commemoravit...
Deinde nos reclinavimus, ut caelum aspiceremus...
et cum resurrexeramus, princeps noniam in clipeo suo stabat.
Non recte facit, cum basim offendit seque subsidio privat.
Asterix, Obelix! Mihi vos honorare placet. Vos portatores principis declaro!
NOS?


At Maiestix, princeps noster...
Desine obloqui! Servate officium!
hi! hi! hi! Vos melius fastigium montis praeteriretis!
Obelix genua flectat!
Utique princeps res nostras adaequare videtur!
Deponite me, pueri, Irrideri videmur!
Solum Obeligem te portare praestat.
Solum? At omnis princeps a duobus militibus portetur oportet... semiprinceps mihi videor, si...
Ceterum cippi mihi poliendi sunt.
PER TEUTATEM! NUM MIHI SERVIRE RECUSAS?
paulo post...
At... quid Obelix agit?
Semiprincipi servit.



Animi hilares atque pueriles vicanorum non iidem sunt, quibus homines in domo Gracchi Gastrimargi, potentis Romanorum praefecti oppidi Condatis*), completi sunt. Nihilominus omnes nihil inexpertum omittunt, quod delectare possit...
*Rennes
Per Iovem, Gastrimarge praeclare, bacchanalia tua revera effrenata sunt. Quorum auxilio obliviscimur nos tam longe ab urbe abesse!
Omnia dependent a quadam elegantia ... Ille celeberrimus Fellinus, arbiter elegantiae Romanus, bacchanalia mea componit.
Ecce! Saltatrices adsunt!
vinum! plus vini!
Domine!... ille, quem exspectas, in conclavibus tuis moratur.
Iam venio... apponantur fendicae suillae adipe uri tostae!
Beneficiis nos obruis, divine Gastrimarge!
Date vos deliciis, gregales; brevi reveniam.
Da mihi, quaeso, pigmentum tuum viride, ut foeditatem meam reficiam.
Heus! Serve! Ecce vas mundum! Hoc scandalum est!
Ita! Restat, ut aquam digitis abluendis afferas.



Ave, C. Eucalypte! Messemne bonam fecisti?
Immo optimam, o Gastrimarge! Ecce aurum vectigalium, multarum, locariorum, portoriorum pro usu viarum Romanarum tributorumque pro iure praecones publicos audiendi.
Optime!... Suum cuique tribuamus...
Haec tua pars est...
haec mea...
...haec urbis Romae.
Nonne credis te modum paulum excedere? Urbs aliquando mirari desinet se tam exigua vectigalia ex provincia accipere.
CLING! CLANG! CLONG!
SPQR
IN UNUM ANNUM NOMINATUS SUM! ANNUS MIHI EST, UT DIVES FIAM! ANTEQUAM ROMA CONSILIUM CEPERIT, REMOTUS ERO! REMOTUS ET DIVES!
Totam meam vitam pergraecabor!
Et quid, si Roma quaestorem nobis examinatorem mittat?
PER IUNONEM! HAEC MIHI CURAE ERUNT! PERBREVI AUT CORRUPTUS ERIT AUT E MEDIO TOLLETUR!
Sed satis nunc laboris!... Veni!... Tune appetis fendicas suillas adipe uri tostas?
An melle conditas?


icc!
Exime caput ex ista amphora!
Non... glutglut... non possum...
Claudite hanc fenestram, ne caelum liberum invadat!
Societas clausa!
Desinas ineptire; nuntia domino tuo me adesse.
CYM! BUM! CYM!
Clau...
Claudius Malosinus Quaestor!
ac... ACCEPTUS NOBIS VENIS!
Ave, ave, quaestor! Nos offendis conventum familiarem agentes... parvum sollemne inter propinquos... age, te nobis adiunge.
Ave, praefecte. C. Iulius Caesar me quaestorem provincialem mandavit, ut accepta et expensa reviserem neve bacchanalibus tuis interessem.
Nimirum, nimirum... ite, amici. Qui pedibus uti possunt, alios sustineant.
Atque fenestras aperiri iube, per omnes deos!
Quo vadimus?
Ubicumque pergere possimus.



Sero est. Tu certe fessus es. Laborem cras pergere possumus... Nonne paulum cibi sumere cupis? Restant, ut credo, fendicae...
Revera satis lassus sum. Iter longum erat. Praeterea piratae navem nostram aggressi sunt. Bene contigit eos inter se rixatos navem suam mersisse.
Me in cubiculum duci et iusculum olerum mihi afferri iube.
Certe, certe... Mihi ipsi hoc curae erit.
Paulo post...
O domine, nunc sanguiculos ursinos et collum camelopardalis fartum apponi iubeam?
Nullo modo! Para mihi scutellam iusculi olerum!
Credi non potest, quaecumque illi bacchandi causa excogitent!
sicc! sicc! sicc!
Postea...
Ecce, domine, paratum est.
Fac ponas in mensa et abeas.
he! he! he!
criic!
Per Iovem! Nihil inest!
Iterum nihil...
CRRIIC!
ah! Tandem!... Omnia consumpta statim replenda sunt.
PHSSS!



Ecce iusculum!
Domus tua egregie ornata est... mirum est pro praefecto provinciae, quae aerario urbis Romae paucos tantum aureos defert.
Haec a iudicio exquisito dependent. Multa effici possunt minima impensa...
Ad crastinum. Omnia dilucescent.
Bonam noctem, quaestor.
hehehehe!
Et eadem nocte...
Domine! Domine! Quaestor morbo affectus est.
Iamne?
Aaaah! Patior! Moriar, per Iovem!
Certe iusculum tibi gastralgiam facit; Cibus gravis est. Coquum loris caedi iubebo.
Omitte coquum. Fac medicos arcessas!
Optime suades! Omnes medicos castrenses convocabo!
Nonne diagnosim medicorum times, o Gastrimarge?
Medici castrenses mihi bene noti sunt...
... congregati atrociores sunt quam legio armatissima!


Postea multa nocte...
Medici adsunt, quaestor... licetne eis intrare?
Licet... Eiiii!
Ubi est aegrotus?
Estne ille, qui in lecto iacet?
Mihi eum committite!
Amovete vos!
!
Pulsum eius temptemus!
Arythmicus est.
Immo pulsus eius tremolat, care collega.
Iocamini, sodales! Inaequalis est!
Vos admonere velim me archimedicum Vindonissae* in valetudinario fuisse!
At ego arti medicae studui in celeberrima schola Massiliensi!
*Windisch (Helvetia).
Mihi vultum tuum spectanti imprimis bacchanalibus studentium interfuisse videris.
Fortasse. At numerus mortuorum multo maior est in valetudinario Vindonissae quam in aliqua pugna a Caesare commissa.
OOOOOOH!
Sanguis mittenda est.
Arteriae aere carent; tracheotomia opus est!
Ubi sunt cucurbitulae?*
Omnes imperiti estis. Eburi commolito sanguis testudinis atque columbae admiscendus est.
* aliud nomen: 'ventosae'
Absurdum est, per Aesculapium! Qui a vobis medicinaliter tractari patitur, illius animus graviter aegrotat!
VISNE TU ME MANUM AFFERRE AMPHORAE TUAE?
heus!
Quies! Haec est, qua egeat: quies.
ALIQUID DICERE VOLO!



Oro vos, ut meo nomine Apollini, deo medicinae, sacrificetis...
Consilium optimum! Apollini cibos exquisitos sacrificabimus, quod aegroto nostro certe usui erit...
Ego quidem dubito, num...
Coquus meus sanguiculos ursinos et collum camelopardalis fartum modo paravit... etiam fendicas suillas adipe uri tostas superesse puto.
AN MELLE CONDITAS?
PLOP!
O quaestor Gastromarge, credisne illa sacra idonea esse ad sanitatem tuam recuperandam?
Causam praetexui, quae illos imperitos abire cogeret.
Inter spasmos suos epilepticos Caesar saepe parvum quendam vicum commemorat non longe abhinc situm... in hoc vico druida habitat... Panegyrix, ut reminiscor, nominatur...
Panoramix.
Ut dicis. Fac eum reperias! Celerrime! Cura, ne quis te videat!
Bono es animo, quaestor! Tam vehementer occupati sunt, ut me a discessu prohibere non possint!
Revera...
Nullo modo obliviscamur paulum vini Apollini libare.
Pah! Satis ille habebit!
Ita! Tacedum de deis. Semper se dominos omnipotentes habent. Commutatione opus est!


Mane in vico...
Dominus tuus aegrotans me desiderat? Venio!
Asterix! Obelix! Statim Condatem proficiscimur! Omittite omnia, quae agitis!
Semper opus est succurrere aegrotis, sive Romanis sive aliis.
Displicet mihi Romanos aegrotare, quia infirmiores sunt quam alias.
Fortasse difficile erit vobis ad dominum meum adire.
Id Obeligi atque mihi curae non est. Nemo Romanorum nos umquam ab aditu prohibuit.
Haec res valde me delectat.
Numquam adhuc virum Romanum hac re delectari vidi!
Paulo post in domo Gastrimargi praefecti...
CHRRRRR
TSRiiiii
PSSSSSSST
VLUPP!
?
Custos! Cur stationem reliquisti et quid agis in frigidis fendicis meis adipe uri tostis?
Ad... glupp! ... adsum, ut te praemoneam tres Gallos vi adhibita domum intravisse, inter quos druida est.
DRUIDA?
Paulumne mellis cuiquam est?


Dic „A“, vir Romane…
QUID HIC VULTIS, GALLI?
Ego ipse eos ad auxilium imploravi; ergo fac taceas!
At hostes sunt… Apollinem implorare praestat; satis magnam partem sanguiculi ursini ei sacrificavimus…
Nonne audivisti, vir Romane? Tibi tacendum est!
EGO EQUIDEM PRAEFECTUS SUM. VOS E DOMO EXPELLI IUBEBO!
CUSTOOOS!
qu… quid ishtud?
no…nosh vochari cchredo…
ultro cchitroque mittimur.
paulo post…
In… in custodiario exigua bacchanalia celebravimus et…
Qu… quidnam vobis accidit?
icc!
hihihi!
SUNT NIMIS MULTA BACCHANALIA IN HAC DOMO!!! EXPELLITE MIHI ISTOS GALLOS!
Bene, bene, sed nolite, quaeso, clamare.
TUX! TAX! VAMM!
SATIS!
MISEREMINI!
SATIS NUNC EST!
hmm!
Visne, Panoramix, cum virum tuum totum exploraveris, etiam meos curare? Minus enim valent.


Aegrotus es, immo aegrotissimus. Una res te sanare potest: potio quaedam, cuius mixtura mihi soli nota est.
Fac misceas mihi hanc potionem, o druida! Maximas gratias tibi referam.
Sed res huic potioni maxime necessaria leontopodium Alpinum* est.
Leontopodium Alpinum?
* stella Alpina
Ille flos parvus nullo loco crescit nisi in summis montibus... difficillime afferri potest.
Optime, optime! Milites meos dimittam, ut florem investigent!
At aegroti sunt!...
Recte! Aer montanus saluber eis erit!
Ubinam ille flos mirus quaerendus est?
Imprimis in Helvetia. Ibi potioni efficacissimi crescunt.
Confido tibi, druida! Dimitte viros tuos, ut illum florem quaerant.
Cur semper barbaris negotia dantur? Maneamus Romani!
Vultisne iter facere in Helvetiam, Asterix et Obelix?
Volumus! Ultimum iter ante longum tempus fecimus.
Praeterea in montibus illis Romani meliore valetudine sunt... nostri me paulatim sollicitant.
Estne nemo iam, qui me audire velit?
Haec est condicio mea: Tu obses nobiscum venies, dum amici mei reverterint.
Nullo modo! Numquam!
Pactum est, druida.


Moneo te! Nisi amici mei reverterint, obses morte multabitur!
reverane?
Quod si aliter fieri non potest, iter vestrum comparari iubebo.
Sed more nostro obsides non accipimus, Panoramix...
Iste vir nomine Malosinus venenatus est. Si hoc loco manet, vix in vita manebit; In vico nostro a sicariis tutus erit.
At haud diu eum in vita retinere possum! Itaque statim proficiscimini et properate! Salutes vestras vico nuntiabo.
Idefix meus tibi curae sit!
Interea...
His Gallis propter duas causas ex Helvetia redeundum non est, Eucalypte: primum ne illum florem apportent, qui quaestorem sanare possit, deinde quod vicani Malosinum supplicio afficient, nisi Galli revenerint!...
Fac petas Genavam;* Trade hunc nuntium Diplodoco praefecto, diuturno socio meo. Proficiscere sine intermissione; Sportulam Bacchanalem tibi praeparari iubebo.
* hodie Genève
Ita factum est, ut una et eadem nocte carrus Condatem relinquat in parvum vicum Gallicum versus...
... nuntius Genavam petat...
... bellatorque Gallicus una cum redemptore quodam cipporum proficiscatur parvum florem quaerendi causa, qui crescit procul summus in montibus.


Novis viis a Romanis constructis amici nostri celerrime provehuntur.
Quid? Tune fame laboras? At modo profecti sumus!
Ego quidem, cum iter facio, semper fame laboro!
Ecce, hic mihi caverna est.
II MILIA PASSVVM
En aspice, Obelix! Ibi cibum capere possimus.
restauratio
Profecto iucundum est; Inter cenam commeatum contemplari potestis, forte fortuna etiam vehicula collidentia…
Interea…
Utinam me sanguiculo ursino frigido abstinuissem… cibus gravis est… ceterum non iuvat secreto bacchari.




Dum nuntius Gastrimargi praefecti equo citato iter pergit, amici nostri pernoctant in deversorio novo more constructo, cui totidem stabula sunt quam cubicula…
carrospitium
…et Genavae, in oppido Helvetico, in domo Diplodoci praefecti bacchanalia incipiunt….
AFFERTE AENUM CASEI FERVEFACTI!
Bene, tenetisne? Cuius frustulum panis in caseum fervefactum ciderit, ei praemium datur! Primum quinque ictus baculi, secundum viginti ictus flagri accipiet; tertium pedibus pondere oneratis in lacum mergetur!
Quae consilia mira tibi in mentem veniunt, divine Diplodoce!
Eget terra nostra severa talibus consiliis… Circenses edere conabar, sed bestiae tam saturatae erant, ut de condemnatis ne gustare quidem vellent!
FUROR DENIQUE EORUM PURGANDI!… BACCHANALIA SORDIDA ESSE DEBENT!… DESINITE DETERGERE, PER IOVEM!
Eii! frustulum meum panis amisi!
BACULUM! BACULUM!
adest! adest!




Amici nostri varios itineris casus non ignorant... exempli gratia rotam fractam.
Actumst!
Optime!
aqua
avena
Eumne vidisti, Asterix? Miro quidem habitu ille fuit...
Helvetiae appropinquamus... Beleno sit gratia! Multum iam temporis praeteriit!
Etiam nimis multum, nam Genavae...
Domine, nuntius sordidissimus Gastrimargi tecum loqui vult tibique hic macula est.
Noli curare maculam meam et fac nuntium introducas.
Ave!
Ah! Quam gaudeo, quod video aliquem squalore distentum! Comprende gladium tuum et bacchanalibus interes!
Postero tempore, Diplodoce praefecte. Nuntium gravem tibi affero!
Pergite sine me bacchari, liberi mei!
Eii! Iterum frustulum meum panis amisi!
FLAGRUM! FLAGRUM!
Sed aridum nondum est!




Non solum Gastrimargo, illi veteri sodali, quicquam negare possum, sed etiam mihi non displicet quaestorem evanescere pati. Itaque illos Gallos impediri iubebo, ne finem transeant. At nunc ad bacchanalia revertamur!
Eii! Tertium iam frustulum meum panis amisi!
¡IN LACUM! ¡IN LACUM PEDIBUS PONDERE ONERATIS!
Quam incultum
Recte dicis! Hoc tempore anni aqua lacus plena sordis est!
DIPLODOCUS
Interea...
Advenimus, Obelix!
GALLIA IMPERIUM ROMANUM
HELVETIA ETIAM IMPERIUM ROMANUM
State! Custodia finalis! Homines Galliam relinquentes inspiciuntur!
Quid nunc faciamus, Asterix?
Formalia sunt, Obelix. Quae nos pati necesse est.
Quid vultis in Helvetia?
Quaerimus...
Quaerimus aërem salubrem.
Decurio! Nuntius Diplodoci praefecti statim tecum loqui vult.
Non autem convenit, Asterix, quod...
tacedum, Obelix!
BSSSBSSSBSSS BSSSBSS
Oho!
Bene, Galli! Iter pergite!


STATE!
Dixisti autem „Iter pergite“!
Vobis concessi, ut Galliam relinquatis. Sed praescripta administrativa partis adversae finis noniam ad me attinent…
GALLIA IMPERIUM ROMANUM
In hac parte finis homines, qui in Helvetiam ingrediuntur, censentur! Descendite de curru!
Estne vobis quicquam indicandum?
Mihi fames est.
Quid tibi hic est?
Caverna.
Bene! Perscrutamini primum eos ipsos, deinde currum, tum equos.
Vestimenta armaque vestra unde veniunt?
E vico nostro in Gallia sito.
Haec importatio fraudulenta est. Legem indicandi violavistis. Pergamus.
Quidnam est in ista laguncula cingulo tuo affixa?
Potio quaedam. Visne scire, quomodo efficiat?
Heia vero! Volo!


GLUT GLUT GLUT GLUT!
Haec potio magica est, quam druida noster miscet quaeque tribuit nobis vim superhumanam.
?
Vide dum!
TUX!
Mihi bibere opus non est; Puerulus in potionem incidi.
?
Vide dum!
TAX!
19A
Bene. Ceteri ubi sunt?
Nostros in Helvetia in angustiis esse credo.
Non attinet ad nos.
HELVETIA
?!
Ne hic moremur, Obelix! Druidam recte dixisse credo haud facile stellam Alpinam referri posse!
Fluctus in Helvetia sedati esse videntur. Tamen nolite statim oculos retorquere.
Celerrime finem transite, per Iovem! Persequimini illos! Eis in vita manere non licet! Caput nostrum agitur!
Helvetia noniam haec terra est, quae aliquando fuit!
Maior e longinquo reverentia!
Quod magna voce dicere potes.
19B



Illi montes ubi sunt, Asterix?
Ssst, Obelix! Omnia praesidia Romana brevi nobis affixa esse credo.
Ascendamus ergo in verticem montis cuisdam, carpamus stellam Alpinam, revertamur in Galliam.
Neque autem res tam facile est. Imprimis cognoscendum est, ubi crescat ille flos.
Ecce oppidum ad ripam lacus situm. Ibi auxilium reperiemus. Ut nox appetiverit, transgrediemur.
Reverane hic lacum habent?
Postea...
Lacum natando superemus. Ita facilius oppidum intrabimus; certe portae custodiis asservantur.
Nil iam videre possum, Asterix!
Eo melius, Obelix, quod Romani nos comprendere non possunt.
Ut vales?
Bene.
Bene.
Quis tu?
Obelix.
Gaius Infarctus.
Laetus sum me vobis occurrisse. Pondere quidem pedibus affixo me liberare potui, sed fatigari incipio. Adeste mihi, ut ripam contingam.
Rectane via provehimur? Non ita bene regionem novimus.
Recta. Etiamne vos frustulum panis in caseo fervefacto amisistis? Lacus Lemannus plenus est talium miserorum.
Spiritus fortasse saluber est, sed non iis, qui spiritum noniam ducere possunt.


Potesne nobis deversorium monstrare, vir Romane?
Inveniuntur circa totum lacum. Ecce in conspectu.
At quid tu nunc facis?
Vestimenta arida induam, deinde ad bacchanalia revertar. Maximum gaudium afferunt!
DEVERSORIUM LEMANNUM
Quid est caseus fervefactus, Asterix?
Genus bacchanalium localium esse suspicor!
... forte unum conclave liberum est, quamquam hoc ipso tempore Genavae conventus internationalis principum populorum, ille C.I.P.P., agitur.
!
Legatio barbarorum ante tempus conclave suum reliquit, quod ei nimis mundum videbatur.
Sine dubio peregrini estis... Significare velim vos ponte uti potuisse. Iulius Caesar eum quidem destruxit, sed nunc renovatum est.
Interea domi praefecti...
NEQUISSIMI! MIHI OPUS SUNT ILLI GALLI!!!


Conclamate ad arma praesidia Aventici, Vindonissae, Augustae Rauricae, Octoduri, Soloduri! Perscrutamini Genavam! Abscedite!
Ecce reverti, divine Diplodoce!
Avenches, Windisch, Baselaugst, Martinach, Solothurn
Mihi tempus non est nugas tuas audire!
bene, bene.
Sed mihi in lacu res iocosa accidit. Ibi in duo homunculos incidi, qui me, ut e lacu evaderem, adiuverunt et...
DUO HOMUNCULOS?
Frustulum meum panis! Tua causa frustulum meum panis in aenum incidit!
TACEDUM DE FRUSTULO TUO! UBI SUNT ILLI?
Ei, illi homunculi? Deversorium prope pontem situm petiverunt.
CUSTODES! CUSTOOODES!
Et quid ad ictus meos baculi? Baculos negare contra leges ludi est!
Hoc temporis momento...
ecce conclave vestrum!
Hoc horologium diligentissime metitur, nisi hoc unum oblivisceris: Quotiescumque cuculavero, omnibus hospitibus tempus erit horologia vertendi.
Calceamenta vestra purgandi causa mecum ducam. Molliter cubetis.


Ei, Ei, Ei!
nil liberum!
Nolumus conclave. Scire volumus, num duo Galli madidi inter hospites tuos sint.
Non sunt. Sunt mihi Sigambri, Haedui, Triboci, vehiculum Hiberorum plenum, quidam Britanni Sequanique, omnes aridi.
?!
At haec vestigia sordida?
Oh, mea sunt. Nonnumquam noctu mihi placet praeter rivam lacus ambulare… aer ita saluber est apud nos.
Suntne haec tua calceamenta?
Sunt. Mihi plura calceamenta sunt.
Bene, satis iam!
QUASS!
QUASS!
Alia deversoria perscrutabimur. Fac nos certiores, si Gallos videris. Sunt enim periculosi rebelles.
Tibi non deero.
QUASS!
QUASS!
Meum ipsius deversorium caeno replevi! Propter istos maleficos Romanos calceamentis sordidis in domo mea pervagabar!
VAMM!


SURGITE! ROMANI VOS QUAERUNT! SEQUIMINI ME! VOS OCCULTETIS NECESSE EST!
!?
XII
Via vacua est! Eamus!
vae!
Veniam peto, brevi revertar!
?!
CUCU!
Accuratio eorum me enervare incipit!
POC!
Quo nos ducis!
Primum ad locum tutum, deinde videbimus.
Argentaria hoc tempore clausa est!
ARGENTARIA TIGURINA.
BAM! BAM!
Lucrifix! Aperi! Raclettix sum.
Scisne, quota hora sit!



Hi duo viri a Romanis agitantur, qui totum oppidum perscrutantur! Nobis adiuvandi sunt!
Bene, certe… vobis consentimus. Romanis saepe a nobis fugatis Iulius Caesar nos hostes terribiles habet… Sed ubi vos occultemus?
Fortasse in arca nummularia…
Computus instituendus est.
Ut in arca occultari possimus?
Mea non interest, quid in arca ponatis. Taciturnitas diligentissime conservatur; mihi nihil aliud estis nisi duo numeri anonymi. Utrum utrique vestrum singulas arcas an computum communem vultis?
Si tibi arca satis magna esset, una esse mallemus.
Fieri potest. Subscribite et ibi et ibi et ibi!
Sequimini, quaeso, me, si libet!
Haec est arca vestra.
Cras revertar, ut vos quaeram. Aliquid excogitabimus.
Magnas gratias tibi agimus, Raclettix!
Sistite, miseri! Arcae ab interiore parte aperiri non possunt. Primum Raclettigi, ut arcam aperire possit, plenipotentiam tribuatis necesse est.


Molliter cubes!
Dormite secure in quamvis ex quattuor aurem!
Celerrime domum mihi properandum est, aliter uno cuculo serius revertar.
RRRRRRRRRR
Ego uaaa!... quidem in lectum revertar.
VAMM
Asterix! Huc venimus, ut montes ascendamus, sed nunc sub terra versamur!
Recte dicis, mi Obelix
Praeterea fame premor, Asterix! In arca cavernam habere molestum est!
Verum est; et ego fame premor... cibum nobis offerendum esse obliti sunt.
At nescio, num nobis liceat arcam ab interiore parte aperire...
Nonne nostra arca est, Asterix?
CRACC
Lucrifix!
hmmm?
Ecce nos... fame premimur.
At quomodo vos ex arca...? Bene. Exspectate me in hypogeo. Parvam merendam vobis deferam.
Hac lucerna et arcam vestram illustrare et caseum fervefacere potestis.
AAAAAAH! QUAE CALAMITAS! ARCA SINE PORTA!
?



Nullo modo in arca porta carente manere potestis… Vobis alius computus instituendus est.
APERITE! NOMINE CAESARIS!
Romani!!! Abdite vos in arcam! Celeriter!
CLANG! CLING!
VII
Cuius est haec arca?
Neque scio, cui sit, neque scire cupio. Properate!
Me conicere posse credo, qua natione conductor huius arcae sit.
INTRATE! CELERRIME!!!
HEUS! APERITE, PER IOVEM!
POC!
Age, age! Iam venio!
Disseca caseum, Obelix!
Asterix! Excedam, ut Lucrifigem interrogem, num ei etiam caseus non foraminatus sit.
Nullo modo, Obelix! Fac taceas et edas!
Huc venimus, ut montes quaeramus. Nunc autem in hypogeo moramur foramina edentes!
Ssst!



Valde doleo, quod te turbo hac insolita hora, sed iussi sumus totum oppidum perscrutari, ut duo furunculos reperiamus.
Arcas modo hic reperis, quas inviolabiles esse scis.
Scio, scio, et ego non is sum, qui te in hac re reprehendam. Bene, fac valeas.
At?...
QUID HOC?
B... bene... ehem... Quidam furciferi hanc arcam aperuerunt omniaque, quae inerant, secum duxerunt...
QUID?
An haec est integritas arcarum tuarum?? Nam et mihi arca est apud te!
Ehem... audi... Tantummodo quaedam parva monumenta insunt ex Aegypto deportata... nostalgia me tenet... Sed totum curriculum meae vitae non pervulgabo...
Age, perge.
Hac nocte occupatus sum, sed cras mane revertar, ut computum dissolvam. Observa diligentissime hanc arcam! Omnia, quae insunt, animo teneo!
ULULUUUL!
Audisne, Obelix? Anima alicuis in profundum cecidit.
Satin tibi certum est hanc esse terram montium?
Silentium tenete! Sileatur de computis meis!!!
VAM! VAM! VAM!



SCAB, SCAB!
CUCUL!
Satis!
Oh, molestum, an non?
Immo molestissimum!
Mi amor! Cucul! Expergiscere! ´Cucul´ dixit!
SCISNE, QUAE EI CONTRA DICAM?
Utinam saltem horologia compluries praeordinari possent!
DEVERSORIUM LEMANNUM
Semicuculo post...
Salve, Lucrifix. Huc veni, ut Gallos mecum ducam.
DUC EOS PROCUL ABHINC! DEDECORAVERUNT ME! ME DE INTEGRITATE DOMUS MEAE MENTIRI COËGERUNT!
Hi Galli in vesaniam me impellunt!
CLIC!
Quiescas, Lucrifix. Me coëgerunt deversorium meum inquinare.
Tales res hominem in neutralitatem inducunt.
Quasdam res attuli, ut vestem mutare possitis. Quas cum indueritis, inter homines incogniti ambulabitis.
Reverane hisce rebus id fieri potest?
Haec arma gerentes similes estis Helvetiis, qui in disciplinam militiae proficiscuntur. Quotannis enim nonis et Kalendis mensis cuiusque nobis armis exercendum est, quae nobis mandata sunt.
ARGENTARIA TIGURINA
Tandem aliquando, cum omnes illi barbari discesserint, solus sum!... Ah, quam iuvat aquam vitae in Helvetia destillatam bibere!


Speciem laxatam et bene nutritam praebentes incogniti manebitis.
Bene nutritam, bene nutritam... foraminibus casei cavernam meam implere non potui.
Murus legionariorum!!!
AD HOROLOGIUM AUREUM
Pah, nihil periculi adest, vestem mutavimus.
Sed caverna tua optime recognosci potest.
Revera...
Ecce eos! Hi sunt, qui me proxima nocte e lacu extraxerunt!
Heus! Nolite oblivisci mihi quinque ictus baculi deberi!
Effugere non possunt! Omnes viae clausae sunt!
Romani a fronte!
Age, abdamus nos in Palatio conventuum internationalium!


...ceterum mihi persuasum est nos cum Romanis in pace vivere posse. Quem ad finem necessariae sunt utriusque partis bona voluntas atque reverentia adversus libertatem hominum liberorum...
Discedamus inter nos, assidamus, agamus ut ceteri!
Certe summa vi nobis contendendum atque laborandum est...
Simulate vos dormire!
... sed Romani se pacem desiderare iam compluribus exemplis demonstraverunt...
?!
CHRRRR!
BRRRRR
´Pax Romana´ tessera sit, quae fortasse initium temporis otiosi atque quieti pronuntiare possit, si obliviscimur iracundiam et offensionem...
... aetatem serenam et tranquillam cooriri video...
VIDEO PUMILUM SCABIOSUM!!!
Sequimini me!
Veni, Obelix!
... itaque imo pectore credo...
OBELIX!
... pacem fieri posse...
CUCU!
... et fieri posse debere. Gratias ago, quod aures mihi praebuistis.


Occasionem dicendi habet legatus civitatis Cadurcum…
Praeses venerabilis, legati venerabiles, rem paucis absolvam…
Ecce lacus! Intro!
Hoc modo montes numquam adhuc vidi!
Porro! Desilite!
Cum loricis nostris?
Cum cassibus nostris?
Cum caligulis nostris?
Lamentari nolo, sed nescio, num post prandium tres horae praeterierint!
DEPONITE OMNIA! RETINETE ARMA! PERGITE! NUNC EST BIBENDUM!
Hoc e carmine Horatii recitavit.
Parce ingenio tuo. Si aeque natare possem ac recitare, in tali difficultate non essem.
Quid agis, asine?
MORTUUM SIMULO! NIHIL ALIUD SCIO! NOLITE OBLIVISCI ME PEDITEM ESSE!…
Persequuntur nos!…
Ecce navem! Cito contrariam partem petamus!



Quonam ierunt? Eos videre noniam possum!
Fortasse urinati sunt.
ECCE NAVEM! SEQUIMINI ISTAM NAVEM!
Delirat, an non?
Salvete! Certe non ex hac regione oriundi estis. Nam pons a Caesare destructus restitutus est.
Scimus. Gratias agimus, quod nos e lacu traxisti!
¡UBIDIIIIIIIIIIIII!
¡UBIDOOOOOOOO!
Hic est cantus proprius civitatis nostrae. Occasio vobis offertur chorum nostrum audiendi!
Domi bardum habemus, qui similiter cantat.
¡UBIDOOOOOOO!
Obelix! Fac redeas! Statim!




Ista navis crassus quo vehitur, piscator?
Transportat gregem veterum commilitonum; Semel in anno festum diem agunt in ripa contraria prope montem sita.
Praefectum Diplodocum certiorem faciamus. Sequimini me!
Quae cum ita sint, tabula collocanda est, quae hunc pontem indicat.
Nunc eos comprendimus!
Ita, comprendimus! Volo omnes copias promptas in locum festivitatis cogi! Volo illos Gallos aut vivos aut mortuos!
bomm!
Interea...
Hi Helvetii alacres certe nos adiuvabunt, ut florem reperiamus, quo vir Romanus, qui obses in vico nostro retinetur, sanetur...
PRRRPH
Adsumus. Ab amicis nostris iam exspectamur.
BUUUUUUUUUUUUUUUUUUUUUUU
iUBiDOOOOOOOOOOOOOOOO
QUAM PULCHRA TERRA, TAM HILARIS, TAM PLACIDA!
ITA, APUD NOS OMNES ET OMNIA CONCINUNT!




Hic vos relinquo. Mihi in deversorium meum redeundum est. Iam compluribus cuculis serius sum. Valete!
Gratiam tibi habemus, Raclettix.
Flos nobis carpendus est, qui stella Alpina appellatur. Nobisne aderitis?
Certe! Optime montes novimus. Sed primum diem festum agamus.
Heus, puerule! Affige orbem scopi. Malum tuum postea edere potes.
Nobis curandum est, ut festivitas celeriter exeat.
In illo lacu sacro gravedinem nactus sum!
Ut invitatos honoremus, vos primam sagittam mittetis.
Bene. At postea florem carpemus.
nnnf!
A... AAAA... AAAAAA...
TSUUM!
Obelix! Paene causa calamitatis fuisses!
Recte, sed me levavit.
Optimus ictus. Centrum ipsum orbis tetigit.
Optimus ictus. Tamen paulum deceptus mihi videor.
Ego quoque. Causa cognoscenda erit.
CRACC




Bene! Nuncne proficiscimur, ut stellam Alpinam quaeramus?
Primum edimus et bibimus, deinde canimus, tum proficiscimur, ut flores carpamus!
Venite! Caseus fervefactus est!
Cur non variationis causa apros fervefaciunt?
Properemus! Quo celerius ederimus, biberimus, cantaverimus, eo celerius florem quaeremus. Nobis tempore, dum Romani nos nondum reppererint, utendum erit.
Iam videbis, qua celeritate uti possim, per Teutatem!
?
Heus!
?
Audi, peregrine, non estur hoc modo...
GLOT! GLOT! GLOT!
Nunc est bibendum!
Postquam vidi modum tuum edendi, tibi calice opus esse non puto.
Recte!
SCROC! SCROC!
GLUTGLUTGLUTGLUTGLUTGLUT
OBELIX! NE!...
Et nunc can... icc... cantandum est...
BUILOOO... ICC... LIIIII
OBELIX!
Vos Galli omnia nimis celeriter peragitis. Quod nos compluribus horis conficimus, vos paucis secundis expeditis.
VRAMMM!


Obelix! Obelix!
LACUS ROMANIS TRANATANTIBUS ABUNDAT!
Mihi stella Alpina quaerenda est, priusquam Romani advenerint!
Vobis aderimus!
Complures vestrum hic maneant, ut Romanos remorentur. Afferte aenum!
Eosne remorari? At innumerabiles sunt!
GLUT! GLUT! GLUT!
?!
Satis potionis magicae superest, quae vobis vim Romanos retinendi tribuat.
Potionis magicae?
Eamus! Monstra mihi, ubi ille flos crescat!
Sed una res adhuc obstat!
Comes tuus… Nescio, num montem ascendere possit. Hoc loco tibi relinquendus non est. Contra munditiam est.
Consilium mihi est! Afferte funem longum; Ad hunc nos omnes alligati Obeligem trahemus. Vestro et potionis magicae auxilio perveniemus!
Eo modo ars quaedam ascendendi inventa est, qua oribatae ad hunc diem utuntur…
Haud stulte inventum est…
Ita! At ego funem ad collum alligavissem.
Afferte caseum! Satis ad fervefaciendum temporis erit, priusquam Romani advenerint!



satis bene sapit hic caseus fervefactus magicus!
Romani adveniunt!
Delectemus eos exiguo cantu militari!
IUBIDUUUU
Elephantos habent!
Non habent, asine! Cantant!
Cum in Gallia in castris eram, bardum cognovi, qui similiter cantavit!
Nomine Diplodoci, praefecti et Iuli Caesaris vicarii, date viam.
Res vestrae ad nos non attinent. Neutrius partis esse volumus, sed...
INCURRITE!
TAX!
IUBIDUUUUUUUUUUUUUUU
RRUMM!
Affligite nos, sed sinite nobis saltem ius quiritandi!
BANG!



TAX!
VAP!
Pri... primum me affligis, deinde curas?
Haec est vocatio nostra: Omnibus bellum gerentibus, cuiuscumque nationis sunt, adsumus...
Et dum summa contentione pugnatur...
TAX!
BING!
Ecce ibi! Illi furunculi montem ascendunt! Instemus, dum omnes hic occupati sunt!
Primum natare in lacu, deinde ascendere montes...
Et quid? Non denique feriamur!
IOO! ALTERUM PREHENDI!


Adiuvate me! Celerrime!
Iam venimus!
Vos ad me traho!
VAEEEE!
Trahe eum ad nos!
Conor!
Bene teneto! Cave, ne eos e conspectu amittas! Nos circum montem currimus, ut eos a tergo prehendamus!
EHODUM! CAVE, NE CADAM!
hmmm?
!!!
Dormi, dormi, bene res se habet.
Phrrrrrr!
40


tribus horis post...
Ecce, vir Gallice, ad dextram!...
STELLA ALPINA!
Carpere non possum! Altero gladio mihi opus est!
GLADIUSNE ALICUI EST?
GLADIUSNE ALICUI EST?
GLADIUSNE ALICUI EST?
mmph?
Mihi gladius est. Nolite maxima voce clamare; Hoc nescioquid efficere potest.
GRATIAS!
TRADITE PROXIMO CUIQUE!
OBELIX! MANU TENEO! NOBIS SUCCESSIT!
Dormi, puerule, dormi, pater oves custodit...*
* carmen populare
Pergamus! Proxime cacumen sumus!
Paulo post...
VIR ROMANUS!?
Ita! Vir Romanus! Et quid?!!
Comitem tuum manu tenui per totum periculosum ascensum. Num huis rei causa me multabis?


Si hoc declivi montis descendes, tuam terram pervenies.
Bene, sed Obelix adhuc dormit. Mihi deorsum trahendus erit.
Valete, Helvetii! Numquam obliviscar, quomodo nos adiuveritis, quae omnia Obeligi narrabo!
EHOOOOO!
ECCE EOS!
STA, VIR GALLICE! NOMINE DIPLODOCI PRAEFECTI, CAESARIS VICARII, STA!
DATE VIAM!
VLOCH!


Ut vales, centurio?
Bene! Tamen desiderio Aegypti ardeo!
VAMM!
SPLASH!
SPLASH!
Ecce stella Alpina, Obelix! Nostra est! Domum revertamur!
Quid? Adhuc sumus in aqua?
Compluribus diebus post...
Ut valet miser Malosinus, quaestor noster, druida?
Adhuc eum vivum servare potui, Gastrimarge praefecte.
Valdissime doleo, quod viri tui non redierunt! Obligatus es, ut eum interficies... obses denique est...
PARATA EST!
Optime! Date ei nunc theam. Sed prius addite nonnullas guttas potionis magicae.
Quae res parata est?


Ego equidem paratus sum!
Qui... quiescas, quaeso, Malosine quaestor...
TUX!
Cum descenderis, tabulas tuas examinabo. Deinde tua postrema bacchanalia Romae in arena circensi una cum Diplodoco, collega tuo, celebrabis!
Vir Romane, hospes noster, non obses fuisti. Tu amicus noster factus es. Itaque primum...
... primum inquam, vir Romanus invitatus est, ut intersit convivio sollemni, quo solito more reditus amicorum nostrorum agitatur; Amicorum felicium et superborum, quod se omni itinere prudentiores atque peritiores fieri sciunt.
Age, Obelix. Qualis est Helvetia?
Plana.
FINIS fabulae
UDERZO & GOSCINNY


BADAUZ!
DELIRANT ISTI ROMANI!


PAULO MINUS VALEO, PANORAMIX!...
NULLO MODO, OBELIX, POTIONEM MAGICAM ACCIPIES! MILIES TIBI DICEBAM TE NATUM INFANTEM IN EAM INCIDISSE!



anno a.C.n.L: tota Gallia, quae, ut vides, est divisa in partes quinque, a Romanis occupata est... Totane? Minime! Vicus quidam a Gallis invictis habitatus invasoribus resistere adhuc non desinit.

ISBN 978-3-7704-3340-7
9 783770 433407
WG 1181
€12,70 [D] / €13,10 [A]

www.asterix.de
www.ehapa-comic-collection.de